

mortuorum corpora assumuntur. Libertates quoque et immunitates antiquas et rationabiles consuetudines monasterii vestri hactenus observatas ratas habemus et eas perpetuis temporibus illibatas manere censemus. Obeunte vero te nunc eiusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur nisi quem fratres comuni consensu vel maior pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam providerint eligendum. Ad inditium autem percepte huius a Romana ecclesia libertatis et quod locus ipse iuris beati Petri sit a prefatis nobilibus viris apostolice sedi sub unius aurei censu oblati, bizantium unum nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere minuere seu quibuslibet vexationibus fa[ti]gare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate et in suprad[ic]tis ecclesiis diocesani episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

(Rota mit der Umschrift): 'Perfice gressus meos in semitis tuis'. (M.)

Ego Celestinus catholice ecclesie episcopus.

† Ego Albinus Albanensis episcopus ss.

† Ego Octavianus Hostiensis et Velletrensis episcopus ss.¹

† Ego Iohannes Prenestinus episcopus ss.

† Ego Petrus Por[tu]lensis et sancte Rufine episcopus ss.

† Ego Pandulfus basilicæ XII apostolorum presbiter cardinalis ss.

† Ego Petrus tituli sancte Cecilie presbiter cardinalis ss.

† Ego Iohannes tituli sancti Stephani in Celio monte presbiter cardinalis ss.

† Ego Centius tituli sancti Laurentii in Lucina presbiter cardinalis ss.

† Ego Iohannes tituli sancte Prisce presbiter cardinalis ss.

1) Diese ganze Unterschrift auf Rasur.